CORNELIA

MIMA MAXEY

CHICAGO LATIN SERIES

CORNELIA

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS
CHICAGO, ILLINOIS

THE BAKER & TAYLOR COMPANY
NEW YORK

THE CAMBRIDGE UNIVERSITY PRESS
LONDON

THE MARUZEN-KABUSHIKI-KAISHA
TOKYO, OSAKA, KYOTO, FUKUOKA, SENDAI

THE COMMERCIAL PRESS, LIMITED
SHANGHAI

CORNELIA

BY MIMA MAXEY
The Laboratory Schools, The University of Chicago

ILLUSTRATIONS BY
EDMUND GIESBERT

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS
CHICAGO · ILLINOIS

COMPOSED AND PRINTED BY THE UNIVERSITY OF CHICAOO PRESS
CHICAGO, ILLINOIS, U.S.A.

AUTHOR'S FOREWORD

The credo upon which this book is constructed runs somewhat as follows:

Things exist written in the Latin language that are worth reading today.

Latin should be so taught as to develop power to read those things in Latin.

One learns to read by reading.

Material for reading in the early stages should be easy and repetitious, and should introduce new vocabulary in self-evident situations.

The acquisition of the language itself is a sufficiently large task for the beginner. He should not be called upon to deal with situations outside his own experience or to acquire knowledge through the new medium; neither should his problem be complicated by the necessity of learning a formidable grammatical nomenclature or a science of grammar that the Romans themselves managed to do without until its introduction by Dionysius Thrax, who was born 166 B.C.

Omission of formal grammar need not result in inaccurate or incorrect Latin. A tendency to inexactness can be corrected by much oral reading of Latin and by writing in Latin.

This translation of this credo into a beginner's book is characterized by certain definite features:

Vocabulary—Vocabulary has been chosen on the principle that words most frequently used in Latin literature should appear early and should be repeated often. Lodge's *Vocabulary of High School Latin* (Columbia University: Teachers College, 1912) has been used to determine frequency. Words have been divided into seven classes:

Class I.—Words appearing 1,000 times or more in the passages usually read in high schools. These words are all introduced early and repeated frequently.

Class II.—Words occurring 500–999 times. These words appear early and often.

Class III.—Words occurring 100–499 times. In this group *nē* is omitted because the subjunctive does not appear in these chapters.

Class IV.—Words occurring 50–99 times. This group is largely used.

Class V.—Words occurring 25–49 times. 106 words from this list appear.

Class VI.—Words occurring 5–24 times. 173 of these words are used.

Class VII.—Words not on Lodge's list of 2,000 words. 73 of these are used, largely in the first lessons to get familiar situations.

A total of 554 words is used in the forty chapters. After the first lessons, each word is introduced in a setting that makes possible its interpretation by reading alone. Every word is repeated in three successive chapters and frequently in later chapters.

That the expression "interpretation by reading alone" may not be misunderstood, by way of illustration the following advertisement in English is added, with blanks in place of words that have been omitted: "Go to York for example. See it in the afternoon of an English summer with the .... glow of the .... sun tinting the Minster towers with unimagined .... Walk through the quaint old .... and along the encircling ...." Anyone who can read English at that level can supply the first four blanks without even pausing. Anyone who can read English and knows York can supply the last. An unfamiliar word can be interpreted as easily as the blank.

For the convenience of the teacher, the basic vocabulary of each chapter is appended at the end of the book and is divided into the classes mentioned above.

Omissions.—The omission of paradigms and other grammatical material is intentional. Form and usage are learned from repetitious reading, dictation, and imitation.

The omission of rules of pronunciation is intentional. Pronunciation is learned by imitation and practice.

The omission of classical flavor is intentional. This may be supplied by reading such a book as *Julia* by Reed (Macmillan & Co.) as supplementary material after the pupil is reading with some ease, perhaps after chapter x. The exact point depends on the class.

Procedure.—This material, which is thoroughly tried material, is used by the author for second or third readings, following the lessons of *A New Latin Primer*, lessons of the same sort covering the same ground. It was developed for initial reading, however, and may very well be used for the first reading with no preceding approach. Also, it can be used easily with Scott-Horn, *First Latin Lessons* (Scott, Foresman & Co.), the original text of which also was developed in the University High School.

In conclusion, the author wishes to express her gratitude to all who have assisted in making this volume possible, especially to Professor H. W. Prescott, chairman of the Department of Latin, the University of Chicago; to Professor H. J. Barton, professor emeritus of Latin, the University of Illinois; and to Miss Katherine Carver, of the Illinois State Normal University, who read the manuscript in its inchoate form and offered helpful suggestions; to all those in administrative positions in and over the University High School, who have made possible the experimentation on material; to my colleague, Miss Marjorie J. Fay, who has repeatedly tried out in her classes this material; to the University of Chicago Press and to Professor G. J. Laing, editor of the Press, whose assistance and encouragement have been most generous.

AUTHOR'S FOREWORD TO PUPILS

Salvēte, discipulī. This is the story of a little American girl named Cornelia. Her life was different from yours, but not very different. You will readily understand the things that she did. I hope that you will like her and that you will enjoy the adventure of finding out about her in a language that is not your own. *Valēte, discipulī.*

TABLE OF CONTENTS

I

Haec puella est Cornēlia. Cornēlia nōn est alta. Cornēlia nōn est magna. Cornēlia est puella parva. Haec puella est puella pulchra et bona quoque. Cornēlia nōn est puer; est puella parva. Cornēlia nōn est magistra. Cornēlia est discipula. Haec puella nōn est discipulus; est discipula.



Haec est magistra. Haec nōn est magister. Haec est fēmina et magistra. Haec nōn est discipula, nōn est discipulus. Haec est magistra. Cornēlia est discipula.

"Salvē, magistra."

"Salvē, Cornēlia. Cornēlia est puella bona."

"Magistra quoque est bona. Valē, magistra."

"Valē, Cornēlia."

II

Haec fēmina est māter Cornēliae. Māter Cornēliae nōn est parva; est fēmina magna. Haec fēmina nōn est mea māter; nōn est tua māter; est māter Cornēliae. Māter Cornēliae nōn est magistra. Māter Cornēliae est bona māter. Māter Cornēliam amat. Cornēlia mātrem amat. Estne hīc māter Cor-




nēliae? Ita. Hīc māter Cornēliae est et hīc est Cornēlia quoque. Puella pulchra est Cornēlia.

Estne haec alta puella soror Cornēliae? Minimē. Haec puella est discipula. Haec puella nōn est soror Cornēliae sed hic puer est frāter Cornēliae. Hic puer est fīlius fēminae. Cornēlia est fīlia fēminae. Hic puer est discipulus. Cornēlia est discipula. Māter fīliam et fīlium amat. Estne hīc frāter Cornēliae? Ita. Nunc hīc est frāter Cornēliae.

III

America est patria Cornēliae. America est mea quoque patria. Estne America patria tua? Amatne Cornēlia Americam? Ita. Cornēlia Americam amat. Māter Cornēliae Americam amat. Frāter quoque Cornēliae Americam amat. Sed haec fēmina Americam nōn amat. Nunc hīc fīlia et fīlius et



soror fēminae nōn sunt. Fēmina Americam nōn amat. Haec fēmina Britanniam amat.

America nōn est terra parva. Haec terra est terra magna. Nōn est īnsula. Fortūna Americae est bona. Fāma Americae est magna. Viae Americae sunt longae. Viae Americae nōn sunt antīquae sed sunt novae. Cornēlia Americam et fortūnam Americae et fāmam Americae amat. Americam amō. Amāsne Americam?

Valēte, puerī et puellae, discipulī et discipulae.

IV

Hic est agricola. Agricola in Americā habitat; nōn in īnsulā habitat. America est patria agricolae. Agricola in agrō labōrat. Cornēlia est fīlia agricolae. Agricola fīliam parvam amat. Cornēlia agricolam amat. Hic puer est fīlius agricolae. Hic puer est frāter quoque Cornēliae. Sorōrem Cornēlia nōn habet.

Nunc hīc frāter Cornēliae nōn est. Cūr hīc nōn est? Haec est causa: quod agricola in agrō labōrat et fīlius agricolae in agrō labōrat. Fīlius in agrō labōrat quod terra est nova et fortūna agricolae nōn est bona.

Ubi est Cornēlia nunc? Nunc Cornēlia est in viā longā. Quid habet Cornēlia? Cornēlia epistulam habet. Cūr est Cornēlia in viā? Cornēlia epistulam habet et agricola epistulam cupit. Epistula nōn est mea epistula; nōn est tua epistula; est epistula agricolae. Nunc Cornēlia est in agrō. Agricola est laetus. Quis nunc epistulam habet? Agricola epistulam habet.

Nunc Cornēlia nōn est in casā. Quis est in casā? Māter Cornēliae est in casā. Māter cēnam parat. Nunc Cornēlia cēnam nōn parat quod puella parva est et in scholā est. Estne fāma scholae Cornēliae magna? Ita. Fāma scholae est magna. Intellegisne? Ita. Intellegō.

V

Nunc agricola est in casā et epistulam scrībit. Māter cēnam parat sed Cornēlia et frāter aquam portant. Cūr agricola epistulam scrībit? Haec est causa: hīc frāter agricolae nōn est. Frāter est nauta et hīc nōn habitat. Vīta nautae est perīculōsa. Nauta multās terrās videt sed amīcī nautae nōn saepe nautam vident. Saepe nauta terram nōn videt sed aquam videt.

Agricola frātrem nōn saepe videt quod frāter nōn in Americā habitat. America nōn est patria nautae. Nauta nōn est incola Americae. Ubi habitat hic vir? In īnsulā habitat. Est incola Britanniae et est nauta Britannicus. (Britannia est īnsula. In Britanniā viae nōn sunt longae. Multae viae sunt antīquae sed multae sunt novae.) Nunc agricola epistulam scrībit quod nauta epistulam cupit. Nauta nōn semper epistulās scrībit sed interdum scrībit. Interdum nauta scrībit et agricola est laetus quod nauta epistulam scrībit. Nautam laudat.

Agricola est bonus agricola. Agricolam amāmus sed magnam pecūniam nōn habet. Agricola labōrat sed pecūniam nōn habet. Nautae quoque pecūniam nōn habent. Quī quoque pecūniam nōn habent? Poētae pecūniam nōn habent. Fortūna nautae nōn est magna sed fāma est magna. Poētae quoque fāmam magnam habent. Sed fortūna agricolae nōn est magna et fāma quoque nōn est magna. Intellegisne?

VI

Cornēlia, pulchra fīlia agricolae, cēnam parat. Cornēlia est puella parva et agricola est laetus quod Cornēlia cēnam parat. Pater Cornēliam amat et Cornēliae pecūniam dat. Pater Cornēliae nōn mihi pecūniam dat; nōn tibi pecūniam dat; sed Cornēliae pecūniam dat. Pecūnia est dōnum. Agricola puellae dōnum dat quod puellam amat. Pater cēnam laudat et dōnum dat. Cornēlia est laeta quod pater pecūniam dat.

Sunt nautae in terrā sed nautae Cornēliae pecūniam nōn semper dant quod pecūniam nōn semper habent. Interdum ubi pecūniam habent, pecūniam dant. Nunc nauta pecūniam habet et Cornēliae pecūniam dat. Cornēlia nautae grātiās agit. Cornēlia nunc in viā pecūniam portat. Ubi pecūniam nautae portat, agricolae pecūniam ostendit. Nauta est amīcus agricolae sed nōn in Americā habitat. Pecūnia nōn est pecūnia Americāna; est pecūnia nova. Saepe hic vir pecūniam novam habet quod multās terrās videt. (Saepe poētae dē aquā pulchrā scrībunt et nautās laudant, sed vīta nautārum est perīculōsa.)

Agricola Cornēliae pictūrās mōnstrat et fābulam dē pecūniā nārrat. Cornēlia pecūniam spectat et legit. Nunc Cornēlia intellegit. Sed Cornēlia pecūniam nautae cupit.

Quid portat Cornēlia? Cornēlia pecūniam nautae portat. Cūr? Cornēlia discipulīs pecūniam novam ostendere cupit. Multī discipulī laetī pecūniam vident. . . . . Nunc ex scholā pecūniam Cornēlia portat.

VII

Haec est casa agricolae. Haec est casa Americāna et in Americā est. Agricola in Americā habitat. Casa agricolae nōn est magna; est parva. Casa iānuās et fenestrās habet. Haec iānua casae nunc est clausa sed fenestrae sunt apertae. Interdum fenestrae quoque sunt clausae. Casa est cāra agricolae et cāra fīliae agricolae. Casa est pulchra. Ibi sunt rosae et silva. Hae rosae sunt pulchrae quod Cornēlia saepe labōrat et rosās cūrat. Cornēlia rosās cūrat quod rosās amat. Silvae sunt magnae et pulchrae. Haec silva est grāta agricolae.

Nunc Cornēlia nōn est in casā; aquam portat et rosās cūrat. Agricola quoque nōn est in casā; est in viā. Agricola ex agrō ambulat. Cum agricolā in viā ambulat nauta. Agricola et nauta in viā ambulant. Nunc Cornēliam vident et sunt laetī. Cāra agricolae est fīlia parva. Agricola est bonus pater et fīliae benignus est.

Māter Cornēliae in casā est. Ibi cēnam parat. Grāta virīs est cēna. Virī cēnam laudant. Nunc Cornēlia agricolae et nautae cēnam dat. Nauta Cornēliae grātiās agit. Nauta fābulās nārrat. Nauta dē vītā perīculōsā nārrat. Nauta multās pictūrās ostendit. Nōn mihi, nōn tibi, sed amīcīs pictūrās mōnstrat. Laetī amīcī pictūrās spectant.

Nunc agricola et nauta in silvā ambulant. Silva est pulchra et silvam amant. Cornēlia et māter in casā labōrant. Nunc Cornēlia et māter quoque rosās cūrant.

Hic poēta est amīcus agricolae. Semper poēta dē casā agricolae scrībit. Multī dē casā agricolae legunt et poētae pecūniam dant. Haec pecūnia nōn est dōnum. Pecūniam dant quod fābulae poētae sunt grātae.

VIII

Nunc Cornēlia, fīlia agricolae, nōn est in casā; rosās nōn cūrat; in silvā nōn ambulat; est in scholā. Iānua est aperta et Cornēliam vidēmus. Cum Cornēliā in scholā discipulī sunt. Magistra nōn est in scholā. Cornēlia magistram exspectat. Ibi est magistra. Magistra ad scholam properat. Cornēlia est laeta ubi magistram videt quod magistra est benigna et Cornēlia magistram amat. Cornēlia ad iānuam properat. Cornēlia magistrae rosās dat. Rosae sunt dōnum. Magistra Cornēliae grātiās agit. Magistra discipulīs rosās mōnstrat. Nunc magistra est in scholā et iānua est clausa. Fenestrae sunt apertae.

In scholā linguam Latīnam Cornēlia discit. Lingua Latīna nōn est lingua nostra. Lingua nostra est lingua Americāna. In nostrīs quoque scholīs linguam Latīnam discimus. Nōs quoque pictūrās spectāmus, et fābulās legimus. Magistrī nōbīs pictūrās ostendunt et dē Italiā fābulās nārrant. Cornēlia labōrat et multa discit. Semper puerī et puellae multa discunt ubi labōrant. Nunc ex scholā Cornēlia properat et patrem, agricolam, videt.

Laeta est Cornēlia, laeta in scholā et laeta in casā, quod scholam amat et casam amat. Pater Cornēliae Cornēliam exspectat et laetus est ubi Cornēliam videt. Schola est schola bona et grāta est agricolae. Estne grāta tibi? Fāma scholae est magna. Clāra est schola. Agricola scholam laudat. Agricola est amīcus scholae. Fāma scholae est cāra Cornēliae quoque.

IX

Nunc Cornēlia nōn est in scholā nostrā. Nōn est in viā. Nōn est in silvā. Est in casā. Ibi cēnam nōn parat. Puella nōn labōrat. Rosās nōn cūrat. Fābulās nōn legit. Linguam Latīnam nōn discit. Cornēlia est aegra. Nunc medicum exspectat. Pater Cornēliae in agrō nōn labōrat. Pater cum medicō ambulat. Pater est miser quod Cornēlia est aegra. Cāra agricolae est Cornēlia. Cornēlia nōn est laeta. Haec quoque est misera. Amīcōs nōn videt sed patrem interdum videt.

Nunc nox est. Noctū puella est sōla. Fenestra nōn est clausa; est aperta et puella lūnam videt. Lūna est parva, sed clāra et pulchra. Interdum Cornēlia lūnam spectāre cupit sed nunc est misera. Nunc lūna obscūra, nōn clāra, est, et Cornēlia stellās, nōn lūnam, videt. Saepe stellae et lūna sunt grātae Cornēliae sed nunc puella est misera quod est aegra. Nox est tarda; nox nōn properat, et Cornēlia est sōla. Nunc pater, vir benignus, ad iānuam ambulat; nunc ad Cornēliam properat. Puella patrem nōn videt quod nox est obscūra sed nunc nōn est sōla et laeta est.

X

Nunc Cornēlia nōn est aegra. Hodiē nōn est aegra sed herī erat aegra. Nocte quoque erat aegra. Quis est hic vir? Medicus est hic vir. Medicus est magnus et benignus. Medicus est amīcus agricolae et est benignus Cornēliae. Medicus medicīnam dat. Cum puerī et puellae sunt aegrī, medicus puerīs et puellīs medicīnam dat. Multī puerī et puellae sunt aegrī quod medicīnam nōn amant et ad medicum nōn properant. Cornēlia medicum exspectat et laeta medicum videt. Cornēlia medicīnam nōn amat sed medicus est amīcus et Cornēliae medicīnam dat et nunc puella nōn est misera.

Hodiē Cornēlia nōn est in scholā nostrā et linguam Latīnam nōn discit, sed in casā labōrat quod puella impigra est et labōrāre cupit. Rosās nōn cūrat sed in casā labōrat. Pater et māter sunt laetī quod Cornēlia nōn est aegra. Sed herī pater et māter erant miserī.

Ubi nunc est Cornēlia? Nunc est vesper et Cornēlia ex casā ambulat et sōla stat et lūnam et stellās spectat. Nunc lūna nōn est obscūra, est clāra. Nunc Cornēlia lūnam et stellās spectat. . . . . Nunc Cornēlia nōn est sōla. Cum Cornēliā stat frāter. Frāter rosam ex agrō portat et Cornēliae dat quod sorōrem parvam amat et laetus est quod nunc nōn est aegra.

XI

Herī erat Cornēlia aegra. Hodiē Cornēlia nōn est aegra sed in casā manet. Saltat et laeta est. In casā labōrat quod est impigra puella. Māter quoque est laeta. Nunc Cornēlia cum mātre stat et medicum videt. Laeta est Cornēlia cum medicum videt. Medicus nōn est tardus. Nunc medicus est in casā et puellam vidēre cupit. Quid habet medicus? Medicus medicīnam habet. Cornēlia nōn est aegra sed nōn est valida et medicus Cornēliae medicīnam dare cupit. Cornēlia medicīnam nōn cupit quod nōn est aegra sed medicus Cornēliae medicīnam dat et Cornēliae praemium dat. Praemium est pecūnia sed nōn magna pecūnia. Diū medicus manet quod Cornēliae amīcus est. Māter et pater quoque sunt amīcī medicī.

Agricola nōn est in casā. In oppidō est. Ibi multa videt. Multa ad casam portat. Cornēlia patrem exspectat. Diū exspectat. Nunc pater est in casā. Cēnam cupit. Medicus cum Cornēliā et mātre et patre manet. Medicus hoc dīcit: "Aestāte in oppidō nōn maneō. In silvā sum. Ibi in tēctō nōn habitō, in casā nōn habitō; in tabernāculō habitō. Tabernāculum est in silvā. Silva est pulchra. Quod silva est magna, noctū lūna et stellae obscūrae sunt. Silvae mihi grātae sunt. Tabernāculum mihi grātum est. Saepe ibi sōlus sum. Laetus sum cum in oppidō nōn sum. Aestāte laetus sum in tabernāculō in silvā." Pater Cornēliae respondet: "Aestāte labōrō, sed labōrāre cupiō et ego quoque laetus sum." Diū medicus manet, sed vesperī "Valēte" dīcit.

XII

Herī Cornēlia nōn erat in scholā. Hodiē Cornēlia nōn est in scholā. Hodiē domī manet. Nōn est aegra. Medicus est in tēctō magnō in oppidō et Cornēliae medicīnam nōn dat, sed Cornēlia nōn est valida. Hodiē nōn est laeta; est maesta. Nōn saltat. Ad scholam īre cupit et misera est quod nōn est in scholā. Diū lacrimat. Nōn est mala puella sed est misera. Māter quoque est maesta quod Cornēlia est misera. Māter puellam ad sē vocat et hoc dīcit: "Properā, Cornēlia. Hīc est pictūra nova." Cornēlia nōn est laeta sed ad mātrem properat. Māter Cornēliae novam et pulchram pictūram ostendit. Diū Cornēlia pictūram spectat. Mox Cornēlia nōn lacrimat et est laeta. Laeta labōrat et Cornēlia et māter cēnam parant. Cum puella est impigra et labōrat, nōn misera est.

In scholā magistra hoc dīcit: "Misera sum quod Cornēlia est aegra." Discipulī respondent: "Nōs quoque miserī sumus. Cornēlia rosās amat." Nōn est aestās sed sunt rosae in agrīs. Puerī et puellae in agrīs ambulant et mox multās rosās ad scholam portant. Magistra discipulīs hoc dīcit: "Bonī puerī et puellae estis quod Cornēliae rosās datis." Post ūnam hōram ex scholā properant. Ad casam Cornēliae eunt et sēcum rosās portant. Cum Cornēlia puerōs et puellās et rosās videt, laeta est. Māter quoque est laeta et discipulīs hoc dīcit: "Laetae sumus quod Cornēliae rosās datis. Grātiās agō." Cornēliae māter hoc dīcit: "Hae rosae praemium sunt quod puella bona es." Nunc Cornēlia saltat et laeta est. Vesperī cum mātre stat et discipulīs "Valēte" dīcit.

XIII

Fīlius agricolae est puer magnus et validus, quī in agrīs labōrat. Aestāte semper labōrat. Cum aestās it, et agricolae quiētem capiunt, tum fīlius ad oppidum magnum it et amīcōs



videt. Ubi fīlius ad oppidum it, agricola nōn est maestus; laetus est quod puer est bonus et nōn est malus et hoc est praemium. Māter et Cornēlia lacrimant cum "Valē" dīcunt, sed sunt laetae quoque. Ubi puer nōn audit, Cornēlia "Valē" vocat. Mox, post ūnam hōram, puer est in tēctō amīcī in

oppidō. Tēctum amīcī, quod est magnum et album, est grātum puerō. Ibi dē mātre, dē patre, dē Cornēliā nārrat, et amīcī respondent et dē aestāte et dē tabernāculō ubi aestāte habitant nārrant. Multa colloquia habent et sunt laetī. Ibi puer saltat et multa videt et discit. Ibi laetus est. Nōn diū manet. Nunc est domī et hīc quoque laetus est.

Aestāte agricola in agrō labōrat sed hieme nōn in agrō labōrat. Domī manet et fīlius agricolae ibi cum agricolā labōrat. Agricola equōs habet. Equī in stabulō manent et in agrō nōn labōrant. Equī sunt pulchrī et validī. Agricola equōs amat et nōn timet. Interdum Cornēlia equōs cūrat. Equī Cornēliam nōn timent. Nūllos equōs puella timet sed interdum puella parva est in perīculō. Tum pater timet et ad sē puellam vocat. Fīlius agricolae est puer validus. Agricola nōn timet cum puer equōs cūrat. Vesperī pater et fīlius domī cum Cornēliā et mātre manent.

Nunc est vesper et tum agricola cēnam cupit. Tum pater et māter et fīlius et fīlia cēnam edunt. Fīlius agricolae equīs frūmentum dat. Nunc in casā puer et soror cum mātre et patre cēnam edunt.

Nōn multōs equōs, nōn ūnum equum sōlum, sed duōs equōs habet agricola. Quod hīs duōbus equīs multum frūmentum agricola dat, equī validī sunt et labōrant. Agricola frūmentum laetē dat. Interdum equī in hortō labōrant. Nōn multum equī, sed multum agricola et fīlius in hortō labōrant. Cornēlia quoque in hortō labōrat et rosās et līlia et aliōs flōrēs cūrat.

XIV

Hic vir est alius fīlius agricolae sed nōn est agricola. Domī nōn manet. Pūblius est mīles et in bellō pugnat. Hieme nūllum bellum est. Tum Pūblius in castrīs manet. Aestāte pugnat. Est bonus mīles quī nūllum perīculum timet. Pūblius bene pugnat. Bellum est bellum magnum.

Diū mīles pugnat et nunc est dēfessus. Patrem et mātrem vidēre cupit. Est impiger sed est dēfessus. Nōn est mīles malus; est dēfessus. Diū exspectat, tum cōnsilium bonum capit. Hoc est cōnsilium. Ad Claudium, ducem, it. "Hic est gladius meus sōlus," inquit Pūblius. "Est gladius lātus sed nōn est novus, nōn est bonus. Haec est galea mea. Galea quoque nōn est nova, nōn est bona. Nōn bene caput tegit. In perīculō sum quod vīta mīlitis est perīculōsa. Domī novum gladium et novam galeam habeō. Ā castrīs domum īre, et gladium et galeam novam ad castra portāre cupiō. Arma bona habēre cupiō." Dux audit. Mox respondet: "Ī et tēla bona ad castra portā." Cōnsilium est bonum et mīles domum it.

Mox ibi patrem et mātrem videt. Māter lacrimat cum Pūblium videt, sed nōn lacrimat quod est maesta. Cēnam edunt. Ad stabulum Pūblius it ubi duo equī stant. In stabulō equīs frūmentum dat. In hortō ambulat sed nunc nūllae rosae sunt ibi, quod est hiems et hieme in hortō nōn sunt rosae et līlia alba et aliī flōrēs. Pūblius et pater nōn ūnum colloquium sed multa colloquia dē castrīs et bellō et duce habent. Multās hōrās cum patre Pūblius colloquia habet. Cornēliam ad sē vocat. Pictūram pīlī et scūtī mōnstrat. Domī est quiēs et mox mīles nōn est dēfessus. Tum gladium et galeam novam capit. Mox est in castrīs. Nunc ibi laetus est.

XV

Iānua est aperta. In hortō stat agricola benignus. Nōn est hiems et in hortō sunt līlia et aliī flōrēs. Ā dextrā stat fīlia



agricolae. Fīlia est puella bona et cāra agricolae. Fīlius agricolae cum duōbus equīs ambulat. Ā dextrā ambulat equus albus; ā sinistrā equus niger ambulat. Fīlius agricolae est medius. Trēs ad stabulum eunt. Ibi fīlius agricolae equīs

frūmentum dat. Alium fīlium agricola habet quī hīc nōn habitat. Est mīles clārus quī in bellō pugnat. In castrīs cum duce et aliīs mīlitibus habitat. Nōn est sagittārius et nūllās sagittās habet. Tēlum mīlitis nōn est pīlum, sed gladium sōlum portat. Nōn scūtum, sed galeam habet. Arma capit et bene pugnat. (Pīlum est longum; gladius est lātus. Scūtum mīlitem tegit; galea caput mīlitis tegit.)

Fāma fīlī est grāta agricolae. Agricola est laetus quod fīlius est clārus mīles. Agricola nōn est Rōmānus. Itaque linguā Britannicā colloquium cum fīliā habet. "Frātris tuī," inquit, "fīlia mea, magna est fāma et nōmen nōn est obscūrum. Clārus vir est. Sed vīta mīlitis est perīculōsa. Miser sum cum perīculum est magnum et sōlus sum. Sed nūllum perīculum semper manet, et laetus sum quod puer noster est pulcher et impiger et quod numquam aeger est. Laetus est meus fīlius quod est mīles et nōn semper sum miser. Interdum fīlius meus nōn pugnat sed in silvam it. Ad silvam gladium et pīlum nōn portat. Quid capit? Iaculum capit. Colloquia cum aliīs mīlitibus nōn habet. Semper audit et animālia nōn timent. Fīlius meus ex silvā animālia portat. Prīmum animal ducī dat. Secundum animal et tertium mīlitēs edunt. Cum quattuor animālia habent, magna est cēna mīlitum et mēnsam laetī vident. Cōnsilium bonum est in silvam īre et animālia capere. Cum ex silvā it, frāter tuus est dēfessus, sed post cēnam est laetus. Tum aliī mīlitēs quoque sunt laetī. Mox frāter tuus quiētem capit."

XVI

Hodiē Cornēlia et pater ad oppidum eunt. Duōs equōs et carrum habent. In carrō sunt multa quae ad oppidum portantur. Nōmen prīmī equī, quī ā dextrā stat, est "Pulcher." Secundus equus est "Dux." Dux ā sinistrā stat. Māne



domō eunt quod pater māne domum venīre cupit. Per viam eunt et post ūnam hōram prope oppidum sunt. Multa et magna aedificia in oppidō vident et Cornēlia est laeta quod multa videt.

Bene eunt equī. Nunc in mediā viā ante equōs est aliquid albī. Rēs est alba; nōn est nigra. Subitō animal parvum trāns viam it et post animal it rēs alba quae est in mediā viā. Nunc

est prope capita equōrum. Equī timent et currunt. Pater numquam timet. Cornēlia timet et lacrimat. Mox trēs virī ex magnō aedificiō currunt. Nunc equī stant. Equī timent sed nōn currunt. Benignī virī Cornēliam et patrem ad aedificium invītant sed Cornēlia nunc nōn timet et fortiter cum patre manet. "Benignī estis omnēs," inquit pater. "Laetus sum quod in hōc locō sumus. Tūtī sumus cum benignī virī sunt prope. Omnēs sunt tūtī quī bonōs amīcōs habent. Nunc vōs amīcī estis. Hī equī meī numquam currunt, sed equī rēs albās timent. Nunc ad oppidum ībimus. Grātiās agō quod ad nōs venītis et ad aedificium invītātis. Nōbīs bene facitis."

In carrō nunc est agricola et ad oppidum it. Cornēlia nunc nōn timet. Laeta est et novum cōnsilium capit. "Sagittārius sum," inquit. "In manū dextrā est sagitta. In manū sinistrā est arcus. Iaculum quoque habeō. Iaculum est tertium tēlum. Mīles Rōmānus nōn sum et in bellō nōn pugnō. In castrīs nōn habitō. Gladium lātum et pīlum longum nōn habeō. In silvam eō et animālia domum portō. Cum animal in mēnsā est, nōn trāns viam currit et equī nōn timent."

XVII

"Audī! Aliquid audiō. Quid est hoc?"

Virī currunt. Subitō aliquis ad iānuam venit. Pater, quī est fortis vir, ad iānuam it. Ante casam stat mīles quī ex bellō vēnit. Arcum et sagittās nōn habet; in manū duo pīla nōn portat. Pater mīlitem in casam venīre nōn invītat, sed mīles venit.

"Eram mīles bonus," inquit mīles. "Perīculum nōn timeō, fortiter pugnō. Sed dēfessus sum. Domum īre cupiō. Dux nōn est benignus quod perīculum est magnum, nūllum auxilium habet, nūllōs sociōs habet, satis magnās cōpiās nōn habet. Domum eō. Īre nōn dēbeō. Hoc intellegō. Sed dēfessus sum. Crās sum parātus morīrī, sī necesse est. Dux mē monet. 'Sī tū ībis,' inquit dux, 'aliī mīlites quoque ībunt.' Audīte! Virī currunt. Mē capere cupiunt." Ad dextram, ad sinistram, omnia loca spectat. "Ubi est locus tūtus?" rogat. Tum ex casā post hortum per agrōs properat.

"Hic mīles nōn est bonus," inquit pater Cornēliae. "Cum dux monet, nōn audit. Īre nōn dēbet. Sī dux sociōs nōn habet, auxilium omnium mīlitum habēre dēbet. Hunc mīlitem nōn amō. Miser sum quod est prope casam."

Māne posterō diē pater fīnitimum videt. (Fīnitimus est vir quī prope habitat.) Pater dē mīlite nārrat. "Ita," inquit fīnitimus. "Quattuor mīlitēs hunc mīlitem habent. Ad aedificium magnum mīlitem portant. Mīlitem miserum! Numquam iterum pugnābit. Nōn audit sī dux monet et nōn est bonus."

Ubi pater trāns viam venit, prīmum cum equīs et carrō ad stabulum properat, tum Cornēliae et matrī dē omnibus rēbus nārrat.

XVIII

Cornēlia māne per agrōs it. Mox erit in scholā. Ecce! Ibi est discipula quae est fīlia fīnitimī et amīca Cornēliae. Hanc puellam Cornēlia saepe vīsitat. Cornēlia properat quod amīcae dē mīlite nārrāre cupit.

"Herī," inquit Cornēlia, "vesperī, nōs omnēs in casā aderāmus. Mox aliquid audiēbātur et pater ad iānuam it. Ecce! Ibi ante casam erat mīles. In manū tēla habēbat sed erat sine armīs. Mīles ā castrīs et ā cōpiīs currēbat. In castrīs manēre dēbēbat sed erat timidus neque parātus erat morīrī prō patriā sī necesse erat. Pater meus illum mīlitem nōn accipiēbat, nōn in casam venīre invītābat. Mox aliī mīlitēs veniēbant et mīles iterum currēbat. Posteā hī mīlitēs illum mīlitem capiunt. Fīnitimus quī trāns viam habitat illum māne hodiē vidēbat. Quam maestus erat! Stābat sine armīs et tēlīs. Miserum mīlitem! Numquam iterum vulnerābitur, numquam necābitur, numquam erit caecus, semper oculōs habēbit, neque crās neque posterō diē pugnābit, sed neque cōpiīs nostrīs auxilium dabit, neque ā duce monēbitur neque ā sociīs laudābitur. Paene hostis est. Misera sum cum dē illō mīlite putō."

"Ego quoque," inquit amīca Cornēliae, "misera sum."

"Cūr nōn sunt omnēs fortēs?" rogat Cornēlia.

Duae parvae puellae ad magistram eunt et fābulam nārrant. "Ille mīles nōn est satis fortis!" inquit magistra. "Sī vir nōn est fortis, nōn est bonus mīles."

XIX

Māne hodiē Cornēlia ad scholam ībat. Agrī erant pulchrī et per agrōs laetē ībat. Per agrōs fluēbat flūmen parvum.



Prope flūmen erant flōrēs pulchrī. Diū inter flōrēs prope flūmen Cornēlia manēbat quod diēs erat pulcher et puella erat laeta. Ecce! Subitō cum puella nōn longē ā flūmine abest, aliquis vidētur. Hic vir est paene caecus et miser et

malus. Quam timida est Cornēlia! Vir ācriter clāmat. Pecūniam postulat. Puella nōn respondet quod multum timet. Ad mūrum quī est circum agrōs currit. Vir puellam stāre iubet, sed Cornēlia nōn stat. Vir quoque currit. Cum nōn longē abest, iterum pecūniam postulat quod pecūniam multum dēsīderat. Cornēlia pecūniam ad virum iacit sed nōn magnam pecūniam habet. Vir est īrātus quod magnam pecūniam dēsīderat, sed nōn magnam pecūniam accipit. Puella iterum currit et nunc ācriter clāmat quod est prope scholam et sociōs. Vir pecūniam in flūmen iacit, et flōrēs frūmentumque agricolae vāstat. Tum properat longē ab illō locō. Ubi puerī puellaeque ad mūrum veniunt, vir nōn vidētur, neque posteā prope illum locum vidētur.

Magistra est misera quod Cornēlia multum timet. "Propter pecūniam," inquit magistra, "multī virī multa mala faciunt. Ille vir hīc nōn manēbit. Numquam iterum sē ostendet. Nōn es timida. Es fortis puella. Nūllam rem timē!"

Cornēlia laeta est quod amīcī adsunt. Nunc dē rē putat. "Vir paene caecus est hostis malus," putat. "Ego sum mīles et prō patriā pugnō. Hostis patriam occupāre cupit. Sī nōn timida erō, mox hostis vulnerābitur et necābitur. Quod vir est sine oculīs et quod ego bonōs sociōs habeō, hostem nōn timeō. Tūta erō et tūta erit patria nostra."

XX

Māter Cornēliae cēnam parat. Cornēlia mātrem iuvat. Interdum Cornēlia omnem cēnam parāre cupit. Ōlim, ubi māter āfuit, Cornēlia paene omnem cēnam parāvit. Avunculus Cornēliae ad casam veniēbat. Māter ad oppidum īvit quod frātrem vidēre multum cupīvit. Cornēlia saltāvit et



clāmāvit quod cēnam parāre et avunculum vidēre cupīvit. Avunculus Cornēliae erat dux mīlitum et diū longē aberat. Mox māter et avunculus ad casam vēnērunt. Ubi ad casam avunculus vēnit, Cornēliam patremque laetē salūtāvit.

"Quamquam bellum amō," inquit, "tamen laetus sum cum amīcōs videō. Cum longē domō absum, interdum inter amīcōs meōs esse cupiō. Amīcōs dēsīderō. Inimīcōs habeō nūllōs. Cum hostibus laetē pugnō. Hostēs semper superō, quod oppida eōrum ācriter oppugnāre et agrōs eōrum vāstāre

audeō. Īrātī sunt hostēs et saepe propter suōs agrōs vāstātōs lacrimant, sed mīlitēs oppugnāre et vāstāre iubeō. Numquam auxilium postulō, quamquam hostēs sunt validī et bene armātī. Eī quī auxilium rogant nōn validī videntur neque eōs hostēs timent. Fortiter pugnāre audeō, itaque multōs populōs superāvī et multa oppida occupāvī. Timidus nōn sum. Fortem mīlitem pugnāre putō."

Mox avunculus Cornēliae ex casā īvit et circumspectāvit. Undique erant agrī pulchrī. Per agrōs fluēbat flūmen parvum et circum agrōs erat mūrus. Ecce! In stabulō erant equī. In hortō flōrēs erant pulchrī quod Cornēlia bene eōs cūrāvit. Avunculus omnēs hās rēs probāvit et Cornēliam patremque laudāvit quod bene labōrāvērunt. Posteā bonam cēnam quoque sorōris laudāvit. "Ita," respondit māter Cornēliae, "bona erat cēna sed Cornēlia hanc cēnam parāvit quod ego in oppidum īvī." Tum avunculus multum Cornēliam laudāvit et in manūs pecūniam novam iēcit, quod Cornēlia erat impigra puella quamquam erat parva.


XXI

Māne posterō diē Cornēlia et avunculus per agrōs ambulābant. Avunculus rūra semper amābat et laetus erat quod nunc cum Cornēliā ea iterum vīsitābat. Cornēlia multa dē agrīs et dē amīcīs nārrāvit; mox avunculum fābulam rogāvit. "Tibi nārrābō," inquit avunculus, "dē barbarīs quibuscum ōlim pugnāvī. Omnēs barbarōs nōn ita esse sciō, sed hanc fābulam nārrābō quod hī barbarī erant fortēs et multum audēbant et multa sciēbant. Oppida nōn habēbant sed tabernācula bona habēbant quae celeriter movēbant sī necesse erat. Celeriter sē movēbant, celeriter oppugnābant, celeriter oppida expugnābant dēlēbantque. Tum virōs in vincula iaciēbant et interdum posteā vulnerābant et ita eōs necābant. Cum multīs populīs pugnābant et eōs superābant. Nūllus vir quiētem capiēbat, nūllus vir dormiēbat sī hī barbarī erant prope, nam multum eōs timēbat. Omnēs fīnitimōs suōs iuvāre erant parātī et nūllī erant inimīcī. Ōlim audīvī hōs barbarōs parātōs esse pugnāre. Ad eōs īre audēbam et cum magnīs cōpiīs īvī. Mīlitēs meī fortēs erant. Celeriter circumspectāvērunt. Undique oppugnāvērunt. Itaque mox superāvērunt. Multōs servāvērunt quī, quamquam fortēs vidēbantur, tamen multum timēbant. Mīlitēs meī sunt bene armātī et mīlitēs meōs probō. Semper mīlitēs mē salūtant et ego eōs salūtō. Crās pictūrās bellī tibi ostendam. Pictūrae sunt oppidōrum quae in ruīnīs sunt."

Ita diū per agrōs Cornēlia et avunculus ambulābant.

XXII

Quamquam Cornēlia est parva puella, tamen inter aliōs puerōs et puellās quī prope habitant magna putātur. Interdum eīs temporibus cum patrēs et mātrēs nōn domī sunt,



Cornēlia cum puerīs puellīsque domī manet, nam est bona puella et cēterōs bene cūrat. Ōlim fēmina fīnitima ad oppidum īvit et Cornēlia cum puerīs puellīsque domī mānsit. Cornēlia omnia cūrābat. Puerī et puellae erant laetī.

"Quid faciēmus, Cornēlia?" inquiunt. "Aliquid novī facere cupimus."

"Sciō," inquit Cornēlia. "Vōs estis barbarī. Servī aliōrum virōrum esse nōn cupitis. In silvās ītis et ibi errātis et animālia necātis. Ego sum bēstia, magna et fera. In silvā errō. Nunc ego dormiō; vōs parātis."

Mox Cornēlia post casam celeriter īvit et dormiēbat. Puerī puellaeque sagittās suās et iacula fēcērunt. Ubi omnia parāta sunt, ad silvam celeriter īvērunt. Undique circumspectāvērunt. Ibi dormiēbat magna et fera bēstia! Barbarī timēbant et prope īre nōn audēbant. Omnēs sagittās iēcērunt, tamen hae bēstiam feram nōn incitāvērunt. Bēstia nōn movēbātur; dormiēbat. Tum iaculum iēcērunt. Iaculum bēstiam facile incitāvit. Ad barbarōs bēstia īvit. Eī celeriter cucurrērunt. Nunc post mūrōs validōs (post iānuam) stant barbarī. Tūtī sunt. Iacula iaciunt. Mūrī barbarōs servant. Bēstia nunc nōn currit; vulnerāta est. Barbarī vincula portāvērunt et mox bēstia erat in vinculīs. Barbarī oppida nōn expugnāvērunt neque dēlēvērunt. Sed bēstiam cēpērunt et per tōtum diem laetī fuērunt. Mox fēmina domum vēnit et Cornēliam īre necesse erat.

"Crās iterum veniam," inquit Cornēlia, "et iterum bēstiae et barbarī erimus."

"Bene est," inquiunt puerī puellaeque. "Laetī erimus quod multa et pulchra scīs."

XXIII

"Barbarī quibuscum pugnāvī," inquit avunculus Cornēliae, "nōn erant perfidī; erant fortēs et fortiter pugnāvērunt. Bellum barbarōrum igitur nōn est facile, sed est bellum dūrum. Ubi novus mīles fuī et nōn multa scīvī, dux meus mē ad barbarōs mīsit. Sī dux imperat, mīles bonus pāret; ego, igitur, īvī. Per tōtum tempus in animō timidus eram, sed hoc fortiter facere cupiēbam. Facile tamen nōn erat. Sī mīles barbarum incitat, bēstiam feram incitat. Sed barbarōs nōn esse perfidōs scīvī. Diū errāvī per silvās et nōn eram laetus. Ducem tamen memoriā tenēbam quod ducem meum amābam. Semper circumspectāvī et post longum tempus ducem barbarōrum repperī. 'Amīcus,' inquam, 'sum,' et multās rēs quās dux meus imperāvit, dīxī. In animō meō, tamen, nōn fortis eram. Prope ducem barbarōrum erant cēterī barbarī. Nōn paucī erant barbarī; multī erant et saevī vidēbantur. Statim dux suōs mīlitēs ad sē vocāvit, et multa dīxērunt et cōnsilia cēpērunt. Mox dux mē vocāvit.

" 'Servī esse nōn cupimus. Vincula nōn cupimus. Lignum et aquam nōn portābimus. Dominōs nōn dēsīderāmus. Dominōs nōn habēbimus. Amīcōs dēsīderāmus. Sī amīcī eritis, nōs quoque vestrī amīcī erimus. Hoc ducī tuō dīc.'

"Statim ad ducem meum īvī. Laetus eram quod hoc fēcī et dux erat laetus. Posteā iterum dux meus mē ad ducem barbarōrum mīsit. Tum celeriter mē movēbam. Nōn eram timidus, nam barbarī nōn sunt perfidī et nunc erant amīcī nostrī. Hoc scīvī."

XXIV

"Ōlim," inquit avunculus Cornēliae, "ubi cum barbarīs pugnāvī et erat mora bellī, amīcum quī prope locum bellī habitābat vīsitāvī. Amīcus meus erat dominus et multōs servōs habēbat. Tēctum erat magnum et agrī erant lātī. Servī in agrīs labōrābant, tēctum cūrābant, līberōs dominī cūrābant. Etiam in silvās mittēbantur et ibi labōrābant. Neque urbs neque oppidum erat prope locum. Locus erat prope silvās magnās. Amīcus meus igitur erat paene rēx. Imperāvit sī aliquid cupīvit et servī pāruērunt. Nōn omnēs servī ita pāruērunt sed eius servī erant bonī. Paucī servī celeriter sē movent quod sunt miserī. Lignum et aquam portāre nōn cupiunt. Līberī esse cupiunt. Heu! Semper miserī sunt eī quī nōn sunt līberī. Hoc memoriā tenēre necesse est. Sī dominus nōn est bonus sed est malus, nōn est homō sed est ferus et servōs bēstiās esse putat, suōs servōs in vincula conicit, etiam terga servōrum vulnerat. Saepe eīs temporibus ubi erant servī, clāmōrēs servōrum vulnerātōrum audīvī. Ōlim clāmōrēs audīvī et ānserēs vidēre exspectāvī sed mox miserōs servōs repperī. Paucī servī erant laetī quod multī dominī erant perfidī et animī erant saevī. Post bellum dūrum omnēs servī līberī erant. Etiam dominī nunc sunt laetī. Līberī esse cupiunt omnēs, hominēs et animālia quoque."

"Multa vīdistī, mī avuncule," inquit Cornēlia. "Manē nōbīscum et semper fābulās nārrā."

"Manēre cupiō, Cornēlia," inquit avunculus. "Vestrum tēctum mihi grātum est; sed multa facere et ad multa loca īre necesse est. Crās ībō."

XXV

Hodiē Cornēlia ad scholam īvit et ibi puerum novum vīdit. Puer cum Mārcō quī erat discipulus sedēbat. Puer nōn erat discipulus. Posteā Cornēlia ad puerum cum aliīs puerīs puellīsque īvit. Puer multa dē sē dīcēbat et haec Cornēlia rep-



perit. Hic puer in urbe ubi sunt multī hominēs habitābat. Hīc ad scholam īre nōn potest quamquam est puer quod pater mortuus est et māter, heu, nōn magnam pecūniam habet. Hic aut in aedificiō magnō aut in nūllō aedificiō sed semper prope rīpam flūminis labōrat. Ibi nāvēs et nāviculae aedificantur. Prīmō hic puer et aliī hominēs rēs multās in aedificiō faciunt; deinde in rīpā corpus nāvis aut nāviculae faciunt. Diū nāvis in rīpā stat et illō tempore ubi nāvis aedificātur

multī clāmōrēs hominum et puerōrum audiuntur. Diū labōrant sed est nūlla mora. Nāvis ubi tōta facta est, rīpam relinquit et in flūmine natat. In flūmine sunt nūlla saxa et nāvis ibi tūta est. Nāvis numquam tam celeriter it sī in saxum coniecta est et vulnerāta est. Aliae nāvēs sunt angustae, aliae sunt lātae; omnēs sunt pulchrae. Nunc puer paucōs diēs rūrī vīsitat quod nūllī in aedificiō labōrāre possunt et hic igitur est līber.

"Nōs sumus rēgēs," inquit. "Nūllus rēx labōrat neque nōs nunc labōrāmus. Mox iterum labōrābimus."

Amīcus, Mārcus, ad hunc puerum tum ā tergō vēnit. "Dē nōminibus nāviculārum," inquit, "hīs discipulīs nārrā."

"Multa sunt nōmina," inquit puer. "Alia est 'Ānser' et alia est 'Stella Sōla' et alia est 'Rēx.' Etiam ūna parva nāvicula est 'Paene Īnsula.' Nōn omnia nōmina memoriā teneō."

"Nōnne cupis ad scholam īre?" inquit Cornēlia.

"Ita," respondit puer. "Per tōtum diem īre nōn possum, sed nocte eō et laetē eō."

XXVI

"Herī," inquit Cornēlia, "in scholā erat puer quī in urbe magnā labōrat. Ibi sunt aedificia magna et hominēs nāvēs nāviculāsque faciunt. Hanc urbem et hās rēs vidēre cupiō." "Potes īre, Cornēlia," inquit pater. "Haec urbs nōn longē abest. Nōs omnēs ībimus."

Ōlim igitur omnia parāvērunt quod māne ad urbem īre cupīvērunt. Ubi māter māne Cornēliam excitāvit, quod lūx erat obscūra et diēs nōn erat clārus et lūna iam in caelō erat, Cornēlia nōn intellēxit. Sed nūlla mora erat. Mox tamen lūx erat clārior et omnēs domum relinquere parātī erant. In omnibus arboribus avēs audiēbant. Avēs etiam in summīs arboribus erant. Caelum erat clārum; in caelō erat nūlla nūbēs. Diēs erat pulcher. Via angusta erat. Cornēlia et pater et māter per silvam et per collēs ībant. Mox prope rīpam flūminis ībant. Ibi quoque erant avēs; aut in saxīs prope rīpam sedēbant aut in flūmine natābant. Ubi via in silvā fuit, avēs et arborēs sōlae vidērī poterant. Cornēlia avēs vīdit sed nūllum hominem vīdit. Omnia spectābat et laeta erat.

Nunc omnia silēbant. Māter cibum sēcum portāverat; nunc itaque māter et pater et Cornēlia prope viam sēdērunt et ēdērunt. Quamquam avēs nōn audiēbant, corpora parva inter arborēs vidēre poterant et ea Cornēlia laetē spectāvit. Pater ōlim avem pulchram vīderat dē quā nunc Cornēliae nārrāvit.

"Omnēs avēs sunt pulchrae nātūrā," inquit pater, "sed hae avēs erant pulcherrimae."

"Illae erant avēs pulchrae," inquit Cornēlia. "Ego ūnam ex illīs avibus vidēre cupiō," sed, heu, nūllam avem tam pulchram vīdit. Mox silvam relīquērunt et urbī magnae appropinquābant. "Mox, mox," inquit Cornēlia, "nāvēs et nāviculās vidēbimus."

XXVII

"Mox, Cornēlia, in urbe erimus," inquit pater. "Nunc dē proeliīs quae nāvibus pugnantur tibi nārrābō, nam nōn sōlum in terrā virī pugnant sed etiam in nāvibus pugnant. Ōlim nāvēs signa habuērunt et per haec signa amīcīs et hostibus nāvis nōta erat. In summā nāvī erant signa. Signa erant saepe figūrae avium aut animālium. Ōlim, ubi puer eram, ūnam ex hīs antīquīs nāvibus vīdī. Signum, figūram stellae, habuit et sīc haec nāvis ubīque nōta erat. Numquam nautae signa cēlāvērunt sed apertē ostendērunt et signa erant splendida in clārā lūce sī caelum erat clārum. Nautae nāvis inimīcae semper hīs signīs excitātī sunt. Saepe ūna nāvis sōla per aquās ībat. Sī haec nāvis aliam nāvem quae nōn erat amīca vidēbat, illam nāvem oppugnābat. Sī nāvem expugnāvit, virōs et pecūniam et cibum, omnia quae in nāvī erant, et nāvem ipsam rapuit. Magnam laetitiam illī nautae dūrī tum sēnsērunt, si praemium erat magnum. Nōn iam silēbant sed clāmōrēs laetī erant."

"Proelia nōn amō," inquit Cornēlia. Avēs et arborēs et collēs et flūmina, etiam nūbēs amō, sed proelia nōn amō. Omnia quae nātūra dat sunt bona, sed proelia sunt mala."

Nunc tēctīs urbis appropinquābant. Mox Cornēlia nāvēs vidēbit.

XXVIII

Tandem Cornēlia nāvēs videt! Portus est lātus et tūtus. Ibi sunt paucae nāvēs, multae nāviculae, nāvigia quoque quae nōn sunt tam parva quam nāviculae neque tam magna quam nāvēs. Splendidae sunt nāviculae, pulchrae sunt figūrae nāvium. Multae nāvēs signa habent quae in caelō videntur. Ubīque sunt in aquā portūs et magna est laetitia Cornēliae ubi eās videt. Diū Cornēlia et pater circum portum ambulāvērunt et nāvēs spectāvērunt; deinde vir, quī erat magnus et ferus vidēbātur, ad eōs vēnit. Cornēlia perterrita erat sed quamquam erat perterrita nōn erat ignāva. Nōn cucurrit sed cum patre mānsit.

"Hūc vēnī," inquit vir, "ubi puer fuī et per multōs annōs hīc labōrāvī ubi nāvēs aedificābantur. Ōlim nōn iam hīc manēre cōnstituī. Nauta esse cupīvī. Omnēs nautae īnsignia in corporibus habent et ego quoque īnsignia habeō."

Deinde tergum ostendit ubi erat figūra magna animālis quam nautae ibi fēcerant. Vir hoc īnsigne amāvit sed Cornēlia nōn amāvit; erat perterrita ubi virum sīc ōrnātum vīdit.

"Quid nunc facis?" rogāvit pater Cornēliae.

"Iterum nāvēs faciō," inquit vir. "Nāvis mea ad urbem nōtam īvit. Cīvēs nautās nōn amāvērunt neque nautae cīvēs. Cīvēs nautam rapuērunt. Omnēs nautae excitātī sunt et proelium pugnātum est. Cīvēs bene pugnābant et erant multī quoque. Tandem necesse erat nautās urbem relinquere. Cīvēs laetitiam quam sēnsērunt nōn cēlāvērunt. Nunc tōta gēns nautārum huic urbī nōn appropinquat quod cīvibus nōn est grāta. Post id proelium iterum hūc vēnī et hīc semper labōrāre cōnstituī."

XXIX

Ubi urbem relīquērunt, pater Cornēliae ex viā lātā per viam angustam ad castra antīqua ubi ōlim proelium magnum pugnātum erat īvit. Parvus exercitus hūc vēnit. Hic locus tum erat in fīne terrārum barbarōrum. Pars cōpiārum erat in castrīs, alia pars erat in nāvigiīs in portū. Moenia castra nōn habēbant sed vāllum validum aedificātum est. Vigilēs erant in vāllō et ubīque prōspectābant ubi clāmor audītus est. Barbarōs, splendidē ōrnātōs, vīdērunt. Barbarī vēnerant et mox castra oppugnābant. Haec gēns barbarōrum nōn erat amīca sed proelium nōn exspectātum est. Dux nūntium ad nāvigia mīsit sed nūntius ā barbarīs captus est. Mīlitēs perterritī erant sed nōn erant ignāvī. Diū bene pugnāvērunt. Deinde omnia silēbant et dux mīlitēs suōs convocāvit. Tandem agmen facere et ex portā castrōrum īre et iter per silvam ad portum facere cōnstituērunt. Mox itaque signa in castrīs relīquērunt. Īnsignia mīlitēs nōn ostendērunt. Sine clāmōribus per portam īvērunt. Omnia silēbant. Eī quoque silēbant. Ad portum īre poterunt! Mox clāmor magnus audītus est; omnēs perterritī erant. Celeriter cucurrērunt. Barbarī undique impetum fēcērunt. Nūlla mora erat. Paucī sē cēlāvērunt et posteā ad portum vēnērunt. Paene omnēs necātī sunt.

Cornēlia misera erat ubi fābulam audīvit sed magna erat laetitia quod locum vīdit. "Nōnne omnēs cīvēs excitātī sunt?" rogāvit.

"Ita," respondit pater. "Mox omnēs illī barbarī ab hīs locīs īvērunt quod cīvēs magnōs exercitūs habēbant quī semper pugnābant et superābant."

XXX

Hodiē in scholā est Cornēlia. Ibi quod puella celeriter labōrāvit, tandem fābulās legit. Fābulae quās legit sunt dē urbibus Etrūscōrum. Etrūscī erant populus Italiae quī prope Rōmam sed in ulteriōre rīpā flūminis Tiberis habitābant. Multae et splendidae urbēs Etrūscīs erant. Semper in collibus summīs urbēs aedificābant. Collēs erant paene montēs quod tam altī erant. Montēs, tamen, nōn appellābantur; collēs appellābantur. Pars hārum urbium neque moenia neque vālla neque portās habēbat quod collis est locus idōneus urbī et collis ipse urbem validam facit. Aliae urbēs tamen moenia habēbant et semper vigilēs ex moenibus prōspectābant quod multōs hostēs habēbant et exercitūs hostium semper exspectābant. Longē agmen hostium vidērī poterat sī iter ad urbem faciēbat. Deinde mīlitēs excitābantur et cum virtūte pugnāre parātī erant. Mīlitēs, quod tam saepe superāvērunt, deum ipsum sē iuvāre putāvērunt.

Sī hostēs erant fortēs et virtūtem magnam habēbant et fortiter impetum faciēbant, tum Etrūscī ad sociōs nūntium mittēbant et auxilium rogābant. Post fīnem bellī sociōs domum mīsērunt. Semper eīs partem praedae dedērunt.

Gentēs quae temporibus antīquīs in locīs aliīs habitābant erant novae Cornēliae et fābulās dē eīs laeta lēgit.

XXXI

Ōlim post fīnem hiemis nēmō nivem exspectāvit; erat, tamen, nix alta. Cornēlia et aliī puerī puellaeque erant laetī. Labōre factō, discipulī sē in duās partēs dīvīsērunt. Pars discipulōrum ex nive castra in monte nivis aedificāvērunt. Castra moenia valida habēbant. Reliquī discipulī erant exercitus quī castra oppugnābat. Ūnus puer hōs discipulōs dūxit. Eum imperātōrem appellāvērunt. Imperātor exercitum legiōnem suam appellāvit. Proelium nōn erat in inīquō locō neque erant cōpiae inīquō animō. Mīlitēs quī erant in castrīs magnam cōpiam tēlōrum sub moenibus posuērunt. Quae putās tēla fuisse? Imperātor et legiō eius tamen virtūtem magnam ostendērunt. Eī quī erant in castrīs eandem virtūtem ostendērunt. Imperātor moenia quae erant ante castra nōn esse idōnea ad oppugnandum cōnstituit, nam erant tam valida. Ulteriōra moenia nōn erant tam valida, itaque ad ea moenia cōpiās suās dūxit. Subitō nūbēs tēlōrum ad eōs iaciēbantur!

"Nōs circiter mīlle nova tēla faciēmus et moenia ipsa dēlēbimus," inquit imperātor. "Eōs hostēs vincēmus."

Deinde legiō impigra ācriter impetum fēcit et mox per moenia ipsa cucurrērunt et aliōs mīlitēs in fugam dedērunt. Illa legiō igitur in proeliō vīcit. In hōc proeliō erat nūlla praeda, nūllus mīles vulnerātus est, nūllus hostis necātus est, ā nūllō deō auxilium postulāvērunt, sed post proelium laetī discipulī cum oculīs splendidīs domum īvērunt.

XXXII

Cornēlia domum īvit atque patrī et mātrī dē legiōne et imperātōre et castrīs nārrāvit. "In eō librō," inquit pater, "sunt multae fābulae dē legiōnibus et imperātōribus et lēgātīs quī sub imperātōribus imperant. Post cēnam dē eīsdem legere poteris." Laeta erat Cornēlia, nam, quamquam puella erat, fābulās quae erant dē exercitibus amāvit.

